



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. III. Actio aliqua decretum omittendi subsequens est peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

utrum scilicet hac voluntate posita, reliquæ actiones eam sequentes impossibiles cum auditione Sacri sint vel non sint peccata.

Tres hac in re diversæ sunt sententiæ: prima universim affirmat omnes hujusmodi actiones esse peccata: ita Valentia hic, d. 6. q. 1. puncto 4. Lorca hic d. 6. & alii, & videtur mens S. Thomæ q. 2. de malo art. 1. ad 7. Secunda e contrariò sententia negat ullas ex dictis operationibus voluntatem omittendi Sacrum sequentibus esse peccatum: ita Medina hic, Coninck d. 3 de actibus, dub. 15. Mærius hic, d. 3. sect. 3. Tannerus, Malderus, & alii. Tertia demum sententia media inter utramque docet non omnem actionem, etiam impossibilem cum impletione præcepti ortam ex voluntate non illud implendi, esse peccatum, sed illam tantum quæ primò post internam volitionem eligitur, ut si quis intendens omittere Sacrum, postea velit assidere igni, etiamsi deinde librum aliquem profanum sumat, cumque tempore impletionis præcepti legat, non peccat, inquit, legendo, sed solum assidendo igni: ita Vasquez hic d. 93. cap. 2. Becanus, & alii nonnulli.

Dico primò: si quis eo animo studeat, vel aliud quidpiam agat, ut omittat rem præceptam, eligendo scilicet actionem illam tanquam medium ad omissionem impletionis præcepti, peccat: sicut etiam peccat is qui omissionem ut medium eligit ad studium, vel aliud opus impossibile cum præcepto. Ratio est, quisquis namque vel hoc vel illo modo procedit, vult malum cognitum quæ tale; omnis autem actus, quo quis vult malum sic cognitum, est malus, imò etiam bonum ex malâ intentione, ut in communi exemplo, si quis det eleemosynam ut fornicetur, largitio enim illa eleemosynæ est mala; qui verò vult studium videns hic & nunc impossibile esse cum præcepto & esse causam omissionis, vult illud videns esse malum & causam mali, ergo &c.

Dico secundò: omnis actus etiam externus impossibilem cum præcepto tempore omissionis elicitus, qui est causa omissionis est peccatum. In hoc etiam conveniunt omnes; nec enim ob aliud negant auctores secundæ sententiæ operationes illas, decretum omittendi sequentes esse peccata, nisi quod supponant omissionem jam factam, & consequenter illam non caudent. Dixi omnis actus impossibilem cum præcepto; si enim actus tempore omissionis elicitus sit eiusmodi, ut stare possit cum præcepto, non erit peccatum: unde si quis domi rosarium recitet vel horas tempore Sacri, non peccat per hoc præcisè, cum illa actio licitè in ipso templo fieret, & tempore Sacri.

SECTIO TERTIA.

Actio aliqua decretum omittendi subsequens est peccatum.

Dico tertio: etiam posito decreto omittendi Sacrum mihi probabilis videtur aliquam saltem operationem, decretum illud subsequenter, esse peccatum: ita Vasquez citatus, & à fortiori auctores primæ sententiæ. Negare tamen hoc videtur Arriaga hic, Disp. 45. sect. 1. subsect. 2. ubi ait, post intentionem non audiendi Sacrum, nullam omnino actionem, quantumvis cum præcepto impossibilem, esse peccatum.

Probatur verò conclusio: illud omne est peccatum, quod influit in omissionem; sed aliqua opera-

tio consequens decretum influit in omissionem; actio semper ergo: major ab omnibus conceditur, & per se videtur evidens in aliis peccatis, in quibus quidquid influit in perpetrationem alicujus mali est malum. Minor itaque probatur, licet præcedat decretum omittendi per modum intentionis, aliquid aliud concurret per modum executionis, nempe vel studium, vel lusus, vel deambulatio in campis, vel aliud hujusmodi, per quod exequitur quis id quod antea statuerat.

Secundò probatur, & magis declaratur præcedens ratio: decretum omittendi Sacrum est solum intentio finis, in qua intentione semper, saltem implicite involvitur aliquod medium, sicut in intentione omnis alterius finis, ut si quis intendat occidere hominem exempli gratiâ, ipso facto vult vel gladio ipsum confodere, vel porrigere venenum, vel aliquid hujusmodi, quæ actiones etiam stante hac intentione, sunt peccata, quia scilicet per modum executionis concurrunt ad occisionem hominis, sed aliqua alia actio præter intentionem omittendi Sacrum concurret per modum executionis ad illius omissionem, ergo. Confirmatur: sicut enim qui habet voluntatem audiendi Sacrum debet velle perfectionem ad templum, & alia ad hoc necessaria, ita & qui habet illud audiendi notionem: Confirmatur secundò: qui jam existens in templo, dum Sacrum inchoatur, vult illud non audire, debet vel discedere è templo, vel aliud ponere cum auditione Sacri impossibile, quod nisi præstet, non obstante prior intentione non sequetur executio, sed Sacrum audiet, ergo, &c.

Probatur tertio: Intentio omittendi Sacrum non est formalis illius omisso, omisso siquidem est quid externum, intentio omittendi est merè interna, ergo hoc solum facit in genere causæ quali efficientis; sed nec in hoc etiam genere causat omissionem Sacri immediate, sic enim si solâ intentio omittendi Sacrum poneretur, omnibus aliis sublatis, non audiret Sacrum, sed hoc est falsum, sublatis siquidem mansione domi vel deambulatione in campis, & aliis hujusmodi adhibet templum, ubi sublato studio, sonno, & similibus audiret Sacrum, ergo intentio per se immediate non causat omissionem Sacri, sed intervenire aliquid aliud necessariò debet per modum executionis, sicut in occisione hominis.

Confirmatur: nam ut proxime dixi, qui existens in templo intendit non audire Sacrum, nisi inde exeat, aut aliud cum Sacri auditione impossibile ponat, adhuc audiet Sacrum, ergo hæc intentio non est formalis aut immediata Sacri omisso: si ergo egressio è templo fuit immediata causa executiva non auditionis seu omissionis Sacri, manifestò extra templum erit similiter causa illius executivæ; per eandem quippe causas aliquid conservatur, per quas producitur.

Dices: studium aut alia actio quæcunque supponit hic & nunc decretum omittendi auditionem Sacri, ergo jam omisso est pro aliquo priori facta, ergo nulla actio consequens illud decretum potest eam causare. Distinguo primum consequens: omisso est facta incomplete & in intentione, seu intenta, concedo consequentiam; est facta complete, seu in executione, nego. Unde, ut proxime dictum est, qui in templo existens dum Sacrum inchoatur intendit non audire Sacrum, nisi aliud ponat præter hanc intentionem, adhuc audiet Sacrum. Verum est quidem, ex vi illius intentionis aliquid aliud necessariò ponet, si eius intentio sit efficax, discedet scilicet, studebit, dormiet, aut aliud hujusmodi, sed hoc confirmat nostram conclusionem,

actio semper per modum executionis influit in Sacri omissionem.

III. In omni intentione finis involvitur implicite aliquid medium, per quod quis finem illum exequitur.

Sicut qui vult audire Sacrum, debet ponere omnia ad hoc necessaria, ita & qui Sacrum non vult audire.

IV. Intentio omittendi non est formalis omisso, nec causa illius immediata.

Præter hæc intentionem aliquid aliud requiritur per modum executionis.

V. Utarius ostenditur intentionem non esse causam immediatam omissionis Sacri.

VI. Omisso Sacri non est complete facta per intentionem, sed solum incomplete seu intentam. Intentio omittendi Sacrum infert necessariò aliquid aliud per modum executionis sicut intentio hominem occidendi.

H. Prima sententia affirmat omnes, secunda nullas ex operationibus voluntatem omittendi Sacrum sequentibus esse peccata.

Tertia sententia ait primam tantum esse peccatum, non reliqua.

III. Studentes eo animo ut omittat Sacrum, peccat.

Ratio est, quia vult malum cognitum ut malum.

IV. Omnis actus tempore omissionis, qui est causa omissionis, est peccatum.

I. Aliqua actio decretum omittendi Sacrum subsequens semper est peccatum.

II. Ratio est, quia aliqua

tionem, aliquid nimirum aliud præter meram intentionem, per modum executionis in omissionem illam influere, & consequenter sicut non sola intentio occidendi hominem est peccatum, sed ipsa etiam percussio eam consequens, quia per modum executionis ad occisionem illam concurrat, ita & hic aliquid saltem aliud erit peccatum præter meram intentionem omittendi Sacrum, cum non minus executivè ad illam in suo genere concurrat, quàm percussio ad occisionem in suo.

SECTIO QUARTA.

Quorundam responsione propositâ, ostenditur ulterius intentionem solam non esse causam omissionis.

I. Ostenditur eandem esse rationem de voluntate occidendi hominem, & voluntate omittendi Sacrum.

DOCTI quidam recentiores disparem ajunt esse rationem inter exemplum, quod supra attulimus de voluntate occidendi hominem & voluntate omittendi Sacrum; in priori enim casu, inquirunt, res intenta est quid positivum, nil ergo mirum si ad eam executioni mandandum aliquid aliud requiratur præter meram voluntatem occidendi: at verò omisso auditionis Sacri est quid negativum, ergo ad eam sufficit sola voluntas interna omittendi. Contrà: ideo aliquid aliud in priori casu requiritur, quia si nihil præter voluntatem illam ponatur, nunquam sequetur occisio; sed similiter nisi aliquid aliud ponatur præter voluntatem non audiendi Sacrum, ut egressio è templo, studium, somnus, mansio domi, aut quid simile, nunquam sequetur omisso Sacri, ut sect. præcedente ostensum est, ergo par utrobique est ratio.

II. Mansio domi non est distinctum peccatum ab intentione omittendi Sacrum.

Fateor quidem mansionem domi non esse distinctum peccatum, est tamen peccatum tanquam executio omissionis intentæ sicut porrectio veneni est peccatum, quia est executio occisionis. Quemadmodum similiter si quis alterum intendere occidere fame, peccaret nihilominus non dando illi cibum, vel ita eum ligando, ut ad cibum accedere non posset; & tamen occidere fame, seu inediâ, non minus est quid negativum, quàm omisio Sacri, ergo, &c.

III. Dices: ad non audiendum Sacrum sufficit aliquem privari omni ubicatione.

Dices: positâ voluntate non audiendi Sacrum, non est necessarium, ut vel maneat quis domi vel in campis ambulet, nec quidquam hujusmodi, sed sufficit eum privari omni ubicatione; hoc ipso namque non erit in templo, nec Sacro præsens. Contrà primò: nos de iis tantum mediis loquimur, quæ in hominis potestate sunt, & haberi possunt naturaliter. Contrà secundò: ergo saltem debet tolli ab homine illo omnis ubicatio; hinc autem confirmatur nostra sententia, nempe aliquid aliud præter meram intentionem non audiendi Sacrum requiri per modum executionis ad omissionem auditionis Sacri. Quare si esset in potestate hominis omni se ubicatione privare, & se statuere nullibi, non minus peccaret, si id in his circumstantiis faceret, quàm modò peccat per egressum è templo tollendo hanc ubicationem, vel manendo domi eam sublatam conservando.

IV. Deus præcisè volendo ut quis non sit in foro, non hoc effi-

ciat, sed ad ulteriorem hujus rei explicationem, si Deus absolute nollet Petrum, qui jam est in foro, ubi brevi exhibenda est comœdia, si inquam efficaciter eum nollet comœdiam illam spectare & audire, necessariò aliquid aliud per modum exe-

cutiois ponere deberet, nempe vel eum in alio loco aut nullibi statuendo, vel somnum ei iniiciendo, vel aliud hujusmodi, ergo etiam sola notio audiendi Sacrum ad hoc in Petro non sufficit, sed aliquid aliud ponere necessariò debet per modum executionis, cum voluntas Dei infinites ad hoc potentior sit, quàm voluntas Petri. Jam verò, si admittatur aliquid aliud præter volitionem externam non audiendi Sacrum esse ad hunc effectum per modum executionis necessarium, gratis omnino negatur illud aliud esse peccatum, cum non aliunde porrectio veneni sit peccatum, nisi quia est executio volitionis occidendi hominem, sicut istud aliud omissionis Sacri.

Objicies primò: posito quod quis deest evit non adire templum, nec Sacrum audire, potest is cui hæc ejus voluntas innotuit eidem suadere ut illo tempore visitet infirmos, ergo tunc visitare infirmos, positâ voluntate omittendi Sacrum, non est peccatum. Contrà: posito quod Petrus absolute statuerit furari calicem, potest ei quis suadere ut hunc non consecratum furetur, dicendo, posito quod furari velis calicem, & animo sis ita hæc in re obfirmato, ut ab eâ intentione dimoveri nolis, hunc calicem non consecratum furare potius, quàm consecratum, & tamen nemo opinor dicit Petrum hunc calicem furando non peccare. Ratio est: quamvis enim suadere absolute alicui peccatum nunquam liceat, si quis tamen sit ad peccandum simpliciter determinatus, poterit ipsi ex duobus peccatis suadere minus: idem ergo est in præsentia.

Objicies secundò: positâ intentione, seu decreto non audiendi Sacrum, omisio Sacri est jam moraliter facta. Contrà: etiam posito quod absolute statuerit quis occidere hominem, occisio illa est moraliter facta, porrectio nihilominus veneni ex intentione illâ occisionis profecta, est peccatum, quia priorem illam voluntatem exequitur. Respondetur itaque, licet omisio, positâ in Petro voluntate non audiendi Sacrum, sit moraliter facta, & in intentione, sicut occisio in altero casu, non tamen est complete & physice facta, ergo ad physicam seu externam Sacri omissionem aliquid externum requiritur præter intentionem, sicut requireretur si alius quispiam absolute vellet Petrum non audire Sacrum; sola namque illius intentio ad hoc non sufficeret, ergo nec sufficit mera intentio ipsius Petri.

Objicies tertio: quantumvis habeat quis voluntatem non audiendi Sacrum, non tenetur esse otiosus, ergo potest domi aliquid agere, ergo studere vel ludere. Responderi potest primò, concesso antecedente & primâ consequentiâ, negando secundam, multa enim opera sunt non impossibilia cum præcepto audiendi, ut legere horas, rosarium & cætera, quæ ipsum sufficienter excusabunt ab otio.

Secundò respondetur, hanc objectionem procedere solum contra sententiam asserentem omne opus impossibile cum præcepto tempore omissionis factum, esse peccatum. Si verò de illo tantum loquatur, quod per modum executionis concurrat ad omissionem præcepti, ut de somno exempli gratiâ, vel discessu è templo, postquam habuit voluntatem omittendi Sacrum, quod jam videt inchoari, dico nec otioso ipsi esse licere, nec opus illud facere, sed tenetur retractare voluntatem omittendi Sacrum, quæ est causa somni, studii, vel discessus è templo. Sicut posito quod quis absolute velit occidere hominem, non potest non

est nisi aliud quid aliud potendo.

Gratis negatur executioem voluntationis omittendi Sacrum esse peccatum.

V. Quod quis interdum suadere alicui possit, ut tempore omissionis visitet infirmos, non sequitur hoc non esse peccatum.

Ex duobus peccatis suaderi potest minus.

VI. Positâ intentione omittendi Sacri, hæc omisio est moraliter tantum, non tamen complete facta.

Ad externam Sacri omissionem non sufficit intentio interna.

VII. Adhuc varia sunt non impossibilia cum præcepto, per quas vitare quis potest etiam, si maneat domi.

VIII. Tenetur is qui statuit non audire Sacrum, decretum hoc mutare, sicut qui statuit occidere hominem.